

- si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? 75
- D.* Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla:  
cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
- M.* Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit  
et longum 'formose, vale, vale,' inquit, 'Iolla.'
- D.* Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, 80  
arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
- M.* Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,  
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
- D.* Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:  
Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85
- M.* Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,  
iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.
- D.* Qui te, Pollio, amat, veniat quo te quoque gaudet;  
mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
- M.* Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi, 90  
atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos.
- D.* Qui legitis flores et humi nascentia fraga,  
frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
- M.* Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae  
creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat. 95
- D.* Tityre, pascentis a flumine reice capellas:  
ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.
- M.* Cogite ovis, pueri: si lac praeceperit aestus,  
ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis. 99
- D.* Heu heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!  
idem amor exitium pecori pecorisque magistro.
- M.* Hi certe—neque amor causa est—vix ossibus haerent.  
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

75-103 *R* 77 vitula  $\pi^1$  *Pierii codd.*, testantur *Macrobius Serv.*:  
vitulam *R\gamma abc* 100 arvo *R* 101 exitium pecori *c codd.* deteriores  
exitium est pecori *R\gamma^2 a*: exitium pecori est  $\gamma^1 b$  102 hi *Stephanus*:  
his *codd.*: his certe—neque amor causa est—vix ossibus haerent  
*Donatus ad Ter. Eun.* ii. 2, 38, ut his *nominativus sit*: vulgo sic *dis-*  
*tinguunt*: his certe neque amor causa est: vix ossibus haerent